Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36449
Copyright: Melk, Benediktinerstift

asserebas in dei rebus non possibilitatem inspici debere sed animum, neque posse ei deficere verba qui credidisset in verbo. Quid igitur faciam? Quod implere non possum, negare non audeo. Super onerariam navim rudis vector imponor. Et homo qui necdum navis clavum in lacu rexi, euxini maris credor fragori. Nunc mihi evanescentibus terris celum undique et undique pontus. Nunc unda tenebris inhorrescentes et ceca nocte nimborum spumei fluctus canescunt. Hortaris ut tumida malo vela suspendam, rudentes explicem, clavum regam. Pareo iam iubenti. Et quia caritas omnia potest, sancto spiritu cursum prosequente confidam, habiturus in utraque parte solacium. Si me ad optatos portus estus appulerit, gubernator putabor. Si inter asperos orationis anfractus impolitus sermo substiterit, facultatem forsitan queras, voluntatem flagitare non poteris.

Igitur Vercelle Ligurum civitas haud procul radicibus Alpium sita, olim potens, nunc raro habitatore semiruta. Hanc cum ex more consularis inviseret, oblatam sibi mulierculam quandam una cum adultero (nam id crimen maritus impegerat) penali carceris horrore circumdedit. Neque multo post cum lividas carnes ungula cruenta pulsaret et sulcatis lateribus dolor quereret veritatem, infelicissimus iuvenis volens compendio mortis longos vitare cruciatus, dum in suum mentitur sanguinem, accusavit alienum. Solusque omnium miser merito visus est percuti, quia non reliquit innoxie unde posset negare. At vero mulier sexu fortior suo, cum eculeus corpus suum extenderet et sordidas fetore carceris manus post tergum vincula cohiberet, oculis quos tantum tortor alligare non poterat suspexit ad celum, et volutis per ora lacrimis: Tu, inquit, testis es domine Iesu, cui occultum nichil, qui es scrutator cordis et renis, ne ideo me negare velle ne peream, sed ideo mentiri nolle ne peccem. At tu miserrime homo, si interire festinas, cur duos interimis innocentes? Equidem ipsa cupio mori, cupio hoc invisum corpus exuere, sed non quasi adultera. Presto iugulum. Micantem intrepida excipio mucronem. Innocenciam tantum mecum feram. Non moritur quisquis sic victurus occiditur. Igitur consularis pastis luminibus cruore, ut fera que semel sanguinem semper sitit, duplicari tormenta iubet, et sevum dentibus frendens similem carnifici minitatus est penam, nisi confiteretur sexus infirmior quod non potuerat robur viri le tacere. Succurre domine Iesu. Ad unum hominem tuum quam plura inventa sunt supplicia. Crines ligantur ad stipitem, et toto corpore ad eculeum fortius alligato, vicinus pedibus ignis apponitur. Utrumque latus carnifex fodit, nec papillis dantur inducie. Immota mulier manet, et a dolore corporis spiritu separato, dum consciencia bona fruitur, vetuit circa se sevire tormenta. Iudex crudelis quasi superatus attollitur, illa dominum deprecatur. Solvuntur membra compagibus, illa oculos ad celum tenet. De communi scelere alius confitetur, illa pro confitente negat, et periclitans ipsa alium vindicat periclitantem. Una interim vox: Cede, ure, lacera, non feci. Si dictis tollitur fides, veniet dies que hoc crimen diligenter excuciat. Habeo iudicem meum. Iam lassus tortor

F xiiij kl Marcij